

titulo emptionis, aut donationis a supremo Principe jus quoddam antiqua Tributa colligendi obtulerunt. Insuper usu receptum est, quod Magistratus etiam subjecti quoddam onera, quae *Collectas* vocant, populo imponunt pro aliqua necessitate, vel utilitate publica, ut est reparatio murorum Civitatis, pontium, fontium, viarum, &c. quae tamen impositio debet fieri per commissa, ad quae, vel omnes Cives, vel ab eis deputati conveniunt, ut sic censeatur libera, & non coacta. Similiter a pluribus conceditur Episcopis jus imponendi de consensu sui Capituli quoddam *Collectas* Ecclesiarum Seminariorum, &c. quia Episcopus est Princeps in sua Dioecesi quasi Papa in tota Ecclesia, a quo tamen haec Episcopi potestas limitari potest.

Circa 2. Conditionem. Duplex esse potest causa legitima imponendi tributa. Prima, justa vindicta, sive in subditos rebelles, sive in hostes victos, utrumque ratione iustae punitiois, aut reparationis damnorum. Secunda, & ordinaria est bonum publicum, ut hostes acere, impugnatione tranquillitatem communem regni, prosperitatem procurare, jus dicere, & alia huiusmodi, sub quibus intellige status Regii decentiam. Ut autem haec causa censeatur legitima, debet 1. certo moraliter de ea constare imponenti: 2. debet esse proportionata tributo: 3. ea cessante, debet cessare tributum: 4. in eam insumi debent tributa, & non in alienos atque inutiles usus; alioquin perinde foret, ac si non esset causa.

Si petas, utrum, exhausto arario in sumptus inutiles possit Rex premente necessitate nova tributa imponere? R. affirmative; quia tenetur populus succurrere Reipublicae quantum necesse est; verum, rebus in melius restituitis, tenetur Rex haec populi damna resarcire.

Circa 3. Debet sic imponi tributum, ut, in quantum fieri potest, utriusque secundum facultates suas gravetur non magis, nec aequè pauperes ac divites, non magis unus mercator, quam alter. Sicut enim, inquit Cajetanus, honores aequalitate proportionali distribuendi sunt, ut digniores plus honorentur; ita onera communia sic distribuenda sunt, ut secundum ratam a quolibet tolerentur, & qui plus possunt, plus graventur: alioquin non servaretur iustitia distributiva, sed esset acceptio personarum. Propter hanc rationem idem Cajet. v. *Vectigalia* contendit, ea esse iusta, quae imponantur super his rebus, quae ad usum necessarium familiae venduntur, emuntur, aut vehuntur; quia inde pauperes magis gravantur, quam divites: pauperes enim, ut plurimum numerosa familia oppressi, plura de suis rebus vendere, & de rebus alienis emere ad usum necessarium coguntur, quam divites, qui nec coguntur sua vendere, & sibi necessaria ex villis suis comparant, aut ea viliori pretio, data, & expectata opportunitate, emunt. In cuius Sententiae confirmationem producit L. *Universi C. de Vectigalibus*, ubi sub poena capitis prohibetur, ne exigantur vectigalia tam pro iis rebus, quae deferuntur ad usum proprium, quam iis, quae deferuntur pro seminando, & iis, quae feruntur ad Fiscum. Posset etiam proferri ex Jure canonico cap. *Quamquam de censibus* in 6. l. 3. tit. 20. ubi dicitur: *Pedagiorum exactiones tam Jure canonico, quam civili regulariter merito esse damnatas*: quod saltem intelligi debet de iis pedagogis, quae rebus ad usum proprium necessarii imponuntur. In hanc sententiam descendunt Toletus & Driedo. Alii tamen Theologi communiter docent, quod, quamvis haec vectigalia propter rationem datam videantur secundum se injusta, & de illis sic secundum se sumptis intelligenda sint Jura citata, ideòque raro sint imponenda; concurrentibus tamen certis circumstantiis possint esse iusta, puta, si publica necessitas urgeat, & vectigalia, quae colligi possunt, non sufficiant: neque ideò deficit omnino tertia conditio requisita, quia divites vectigalibus alterius generis graventur, quam pauperes; & sic quantum fieri potest, servatur proportio. Adde, quod vectigalia, quae imponuntur rebus negotiationi destinatis, redunt in ipsos pauperes, qui illas ideò cariori pretio emunt, & tamen non censentur injusta. Ita S. Anton. Sylvester, Navarr. Sylvius, &c.

Dico 2. His tribus conditionibus concurrentibus, Principes licet tributa imponant, & exigunt. Patet ex dictis, (*Ulic q. 66. a. 8. ad 3. & Lect. 1. in c. 13. ad Rom.*) quia, cum Principi ex officio & voluntate populi incumbat administrare Rempublicam, curare bonum commune, necessitatibus communibus prospicere, &c. nec ad haec suppetant necessaria nisi mediantibus tributis, jure potest Princeps illa imponere, & exigere quantum ad sum, & honorum Officialium decentem statum, & necessitates publicas,

necessarium est & sufficiens. Haec autem decernere ad Principem Consiliarios, & subinde eorum Confessarios non sine gravi periculo spectat. Si enim una ex assignatis conditionibus desit, tributa sunt injusta; & qui ea imponunt, exigunt, consulunt, peccant mortaliter, tenentur ad restitutionem, & excommunicantur in Bulla *Cane*. Nota tamen, quod quamvis debita proportio, in quantum fieri potest, debeat servari, aliquando tamen sit admodum difficile, imò vix possibile eam in certis rebus exactè servare. Unde, si servari, quantum potest, & necesse sit in his rebus tributa imponi, non sunt culpandi imponentes, sed neque etiam fraudantes, in quantum bona fide putant se inde gravari, ut dicam modo.

§. II. De obligatione solvendi Tributa.

Dico (*Collig. ex loc. cit. ad Rom.*) Defraudare justa tributa, sive sunt Dei, Deo. Et Apost. ad Rom. 13. *Necessitate subditi extote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam: idè enim & tributa praestatis; Ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes: Reddite ergo omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal.* (*Ibid.*) Quibus verbis Apost. non solum resolvit solvenda esse tributa, sed etiam assignat rationem, cur solvi debeant; scilicet quia *Ministri Dei sunt in hoc ipsum servientes*: quasi dicat: unusquisque de suo ministerio vivere debet secundum illud 1. Cor. 9. *Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* & ideò, cum Principes suo regimine Deo ministrent ad bonum publicum, a populo debent tributa suscipere, quasi stipendia sui ministerii.

Prob. 1. ex Scripturis. Math. 21. Christus, ostendo sibi numismate, dixit: *Reddite ergo, quae sunt Caesaris, Caesari, & quae sunt Dei, Deo.* Et Apost. ad Rom. 13. *Necessitate subditi extote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam: idè enim & tributa praestatis; Ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes: Reddite ergo omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal.* (*Ibid.*) Quibus verbis Apost. non solum resolvit solvenda esse tributa, sed etiam assignat rationem, cur solvi debeant; scilicet quia *Ministri Dei sunt in hoc ipsum servientes*: quasi dicat: unusquisque de suo ministerio vivere debet secundum illud 1. Cor. 9. *Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* & ideò, cum Principes suo regimine Deo ministrent ad bonum publicum, a populo debent tributa suscipere, quasi stipendia sui ministerii.

Prob. 2. ratione. Tributa sunt debita Principi a populo, non solum ex Justitia legali, quae partes tenentur concurrere bono totius, sed etiam ex Justitia commutativa: ergo defraudare, &c. Prob. Ant. Hoc ipso quo populus transiit in Principem auctoritatem, & Reipublicae administrationem, tacite promittit illi justum functionis stipendium, & subsidia rectae administrationi necessaria, ut jam dictum est: ergo, posita lege tributi, quae hac totius populi obligatio in singulos distribuitur, assignata cuique sua portione, & determinatis rebus, in quibus est solvendum, singuli tenentur ex Justitia ad illam quotam. Patet consequ. quia, quae obligatio tenetur totus populus in genere ad sumptus necessarios, ea tenetur singuli in particulari ad suam quotam legitimè taxatam. Ex quo habes, quod, quamvis quantitas tributi non sit ex lege naturae, sed ex lege positiva Principis, hac tamen posita tributum lege naturae, & iustitiae debetur: Paritas est in decimis: lege naturae, & iustitiae debetur Ministris Ecclesiae justum suae administrationis stipendium: quantitas tamen stipendii taxatur ab Ecclesia, puta pars decima: posita vero hac taxatione decimae, debentur Ecclesiae Ministris lege Justitiae.

Dixi conclusionem, sive petantur, sive non: attenda scilicet natura debiti; quia aliter esse potest attenda consuetudine: in certis enim locis consuetudo obtinuit, ut tributa non solvantur nisi petita: in his ergo locis mercator transiens non tenetur solvere vectigal, si nemo adsit, qui petat, modo tamen absit fraus: ut accideret, si merces absconderet, fugeret, diverteret a via publica, ne videretur ab exactoribus, aut aliter deciperet.

Dices cum Angelo, & quibusdam aliis: Lex Tributorum est mere poenalis: ergo non obligat in conscientia ante sententiam Judicis. R. N. Ant. 1. quia contradicit Apostolo dicenti, Tributa solvi, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. 2. Quia, cum Principes possint, & velint suas alias Leges obligare in conscientia, non est ratio, cur id non velint in Lege Tributi: imò est specialis ratio, cur velint; haec enim obligatio in conscientia est causa, cur multi Tributa solvant, qui alioquin non solverent. Nec poena imposita non solventibus tollit obligationem ad culpam, sed potius supponit, cum non infligatur poena nisi propter culpam.

Inst. Saldem huius legis transgressio erit tantum peccatum inobediendum, proindeque non obligans ad restitutionem. R. N. illationem. Cum enim hac lege determinetur justum Principis stipendium & justum administrationis subsidium, obligat ex Justitia; non secus, ac Lex de-

terminans quotam decimarum, aut pretia rerum.

Dices 2. Saltem soli subditi hac Lege tenentur, & non exteri; de solis enim subditis probant rationes conclusionis. R. D. Soli subditi ratione personae, vel bonorum tenentur, C. Soli subditi ratione personae, N. Dupliciter aliquis fit subditus Principi. 1. Ratione personae, quia in eius Regno natus est, vel domicilium habet. 2. Ratione bonorum, quae ibi possidet, vel vendit, vel distrahit; & eo modo subditus debet solvere Tributa Principi, sicut & aliis ejus Legibus obedire, quando ibi moratur. Adde, quod jus mercimonii non concedatur exteris a Principe in suo Regno, nisi sub conditione Tributi solvendi, & quidem jure; tum quia non tenetur illud gratis concedere; tum quia, cum sit adstrictus ad conservationem viarum & pontium, necnon ad securitatem mercatoribus praestandam, justè exigit ab eis subsidia ad haec necessaria. Et aliunde hac Tributa relabuntur ordinariè in proprios subditos, qui vel res suas villius ideò vendunt, vel alienas carius emunt.

Nota bene: Cum Legibus Tributibus non sunt confundendae Leges, quae absque impositione vectigalis simpliciter prohibent eveli e Provincia; aut in eam invehi certas merces, vulgò *Contrebandas*: Qui enim has Leges transgrediuntur, non tenentur ad restitutionem vectigalis, quia non est; neque ad multam ante sententiam Judicis, quia est poena.

Utrum verò tales Leges obligent in conscientia, & utrum transgressores teneantur de damno, quod inde Reipublicae vel Redemptoriis obvenit, dicant alii. Scio quidem, plures asserere has Leges esse mere poenales, nec obligare nisi ad multam post sententiam Judicis, & sic non semel declarasse Principes in Gallia, & in Belgio: at id mihi non constat. Fateor tamen, sic plerumque homines etiam probos apprehendere; vix enim ullum reperias, qui sibi faciat scrupulum, si vel pecunias, vel telas indicas, vel tabacum, vel alias huiusmodi res de Regno in Regnum transferat, aut saltem eas emat, & eis utatur, cum tamen non solum invectione, sed & usus prohibeatur. Quantum ad damna, videtur haec sufficienter compensari per multas, quas solvere coguntur transgressores deprehensi, quod non raro accidit. Insuper Redemptores has defraudationes supponunt, dum contrahunt cum Principe, & ideò viliori pretio contrahunt. Ceterum in his omnibus securitatem dare nolim. Id unum affirmo, eos graviter peccare, qui hanc negotiationem exercent, quando prohibetur sub poena mortis; quia non licet se tante poenae periculo exponere pro lucro temporali. Item, quando intendunt se armis offensivis contra Custodes defendere.

Petes, utrum, qui merces emit ab eo, quem scit defraudasse vectigalia, teneatur illa solvere? R. negativè: vel enim vectigal solvendum est quaedam pecuniae summa, vel aliqua pars meris v. gr. decima. Si primum est communis sententia, non esse onus reale, seu rei affixum, quod transeat cum merce, sed onus personale venditoris, quamvis ex rei transportatione contrahatur. Si secundum, quamvis sit probabilis aliquorum Sententia esse onus reale, quod transit cum re, oppositum tamen est probabilius; quia antequam illa pars sit separata & tradita, venditor retinet illius partem, sicut & totius mercis dominium: Princeps autem quantum ad illam partem habet tantum jus ad rem, non secus, ac emptor, qui rem aliquam emit, se nondum occupavit: ergo, sicut, si superveniat secundus emptor, qui rem occupat, acquirit ejus dominium, onere satisfaciendi primo emptori manente penes venditorem; ita emptor in nostro casu totam illam mercem acquirit, manente penes venditorem onere solvendi vectigal.

Nota tamen, quod, non solum haec mercx vendita, sed omnia bona venditoris maneat hypothecata Principi, ut ex eis, si velit, possit suum vectigal recuperare. L. 1. C. *Quibus causis*. Nota insuper, quod, quamvis emptor non peccet praecise ex hoc, quod emat talem mercem, nec teneatur restituere vectigal; si tamen sic emendo moveat alium ad iteram fraudandum, possit peccare & teneri ad restitutionem ut cooperator damni.

Dices contra 2. partem responsionis. In Jure c. 33. *de decimis*, fructus nondum decimati non possunt alienari absque onere decimarum, quia res transit cum suo onere: ergo similiter in presenti casu. R. Nego Consequ. quia sic Jus disposit de decimis, non verò de Tributi.

Haec usque dixi de Tributi certo justis. Sed gravissima restat difficultas, quando dubitatur merito de justitia Tributi, an solvi debeat in conscientia? Est autem ratio dubitandi de Justitia Tributi, inquitur graves Auctores, quando nova Tributa imponuntur, aut antiqua augentur; item,

quando est communis persuasio in populo, maxime in probis & doctis, ea, quae praetextu necessitatis imponuntur, aut augentur, in non necessarios usus expendi, aut in majori quantitate exigi, quam necessitas requirit: Tot enim, inquitur, conditiones requiruntur ad justitiam Tributi imponendi vel augendi, ut in tanta Tributorum multitudine, quia his temporibus gravantur populi, merito praesumatur, quaedam esse injusta, plura incerta & dubia, in cuiusvis rei confirmationem proferunt cap. *Quamquam supra* cit. in quo Bonif. VIII dicit: *Pedagiorum exactiones tam Jure Canonico, quam Civili regulariter merito esse damnatas*: Quia regulariter deest aliqua conditio requisita. Quaestio, inquam, valde perplexa est, an in tali dubio Tributa sint necessario in conscientia solvenda?

Quidam affirmant; quia in dubio, an lex sit justa, vel injusta, praesumendum est in favorem superioris, quod justè praecipitur potius, quam injustè, nec subditorum est ejus praeccepta ad examen revocare. Ita Sylvius, Cabassutius, & alii. Quidam negant; quia in dubio est melior conditio possidentis: subditus autem possidet res suas, & immunitate a Tributo. Pro hac sententia citantur Sylvester, S. Antoninus, Cajet. Petrus Navarr. Fumus, Aragon, Medina, Gabriel, & alii plures.

Si inter tantos viros sententiam nostram aperire liceat, dicam neutrum fundamentum mihi videri satis firmum. Non primum, quia non est, totaliter saltem, praesumendum in favorem superioris, quando agitur de interesse ipsius & de damno subditi: *De interesse ipsius*; quia tunc jure timeri potest, ne sit partialis & sibi faveat: *De damno subditi*; quia tunc aequum videtur, ut subditus aequum re sua spoliatur, inquirat, an verè debeat. Unde c. *Pervenit* extra de censibus dicitur: *Oportet, ut omnis census, ad quid & quando persolvi debeat, praestetur*. Id modo magis elucidabitur. Non secundum: quia possessio non reddit meliorem conditionem possidentis, nisi in quantum importat praesumptionem veritatis in favorem illius, ut dixi alibi; quod hic non currit. Ex eo enim quod subditus res suas & immunitate possideat, non habetur inde praesumptio, quod Tributum sit potius injustum, quam justum. Insuper, si subditus possideat res suas, superior possidet auctoritatem praecipendi, sicut quae possessio compensatur per alteram.

Itaque, salvo meliori judicio, arbitror dicendum de Tributi dubiis, quod alias dixi de ceteris debitis dubiis nempe esse solvenda pro rata dubii: ita quod ab iis solvendis non sint omnino liberi subditi, neque ad haec integra solvenda cogantur: ne ex una parte, si a solutione Tributorum dubiorum subditos omnino absolvas, nocens Principi, cui forte debentur, & ab obedientia ipsi debita subditos injustè subtrahas. Et ex altera, ne, si ad integram solutionem cogas, damnum inferas subditis, qui ea fortè non debent. Igitur solvendum est Tributum dubium, ne incurrat periculum committendi injustitiam; neque tamen est totum solvendum; quia debitum dubium non est tanti valoris, quanti est debitum certum. Vide Dissert. de Restit. Art. 11. §. 6. Nolim tamen in hac parte constitucere subditum Judicem in propria causa; sed consulat viros probos & doctos, qui, attenda ex una parte ratione dubii, & ex altera quantitate bonorum, aut negotiationis, dicant ex aequo & bono, quantum solvere debeat, & eorum ster judicio. Quod autem dico de ipsa solutione Tributi dubii, idem est dicendum de restitutione non soluti. Neque ab hac sententia videtur alienus doctissimus Sylvius, alioquin stans in dubio pro parte Principis dum dicit q. 66. a. 8. Concl. 7. *Si quis fraudet de illis Vectigalibus, quantum bona fide existimat se plus aequo gravari neque peccat, neque tenetur ad restitutionem. Quod meminit se oportet Confessarios, quando agitur de fraudatorum Vectigalium restitutione injungenda.*

Dices: Miles, dubitans de justitia Belli, tenetur jussum militare: ergo subditus dubitans de justitia Tributi, tenetur illud solvere. R. 1. Nos totum ultro concedere: non enim negamus, quin subditus debeat solvere Tributum dubium: sed quia debitum dubium non tanti valet, quantum valet certum; dicimus, quod possit aliquid minuire pro rata dubii.

Inst. Miles, dubitans de justitia Belli tenetur sine exceptione militare: ergo subditus dubitans de justitia Tributi, tenetur illud solvere sine diminutione. R. N. Consequ. Disparitas est 1. Quod debitum militandi non sit divisibile pro rata dubii. Unde vel est simpliciter obediendum, vel simpliciter inobediendum: praestat autem & tutius est simpliciter obedire, quam nullatenus obedire, quia in periculo laedendi jus Principis, vel privati, si utrumque salvari

non possit, preferendum est jus Principis juri alicujus privati. At debitum pecuniarium est divisibile. Unde quando est dubium, æquitas postulat, ut totum non adscribatur uni, ne fiat injuria alteri, sed pro rata dubii dividatur; sicquæ jus utriusque servetur. Altera disparitas est, quod miles in bello sit instrumentum Principis: subditus autem in distractione boni proprii ad solvenda debita sit causa principalis. Porro, quando subditus se habet ut instrumentum in eo, quod causa principalis præcepit, non est ipsius discutere, an opus præceptum sit justum, vel injustum, sed exequi tantum & obedire; si vero se habeat ut causa principalis in eo quod præcipitur, ipsius est discutere, an sit justum, vel injustum, & non solum exequi, quia tunc debet agere secundum formam suam moralem, nempe suum iudicium: v. gr. quia concionator est causa principalis concionis habendæ, non tenetur obedire Prælato præcipienti prædicare doctrinam, de cujus veritate ipse concionator dubitat; sed potest & debet examinare, an sit vera. E contra, quia præco est instrumentum Principis respectu promulgationis edicti, non pertinet ad eius officium examinare, an sit justum, vel non, sed in dubio potest & debet obedire & promulgare. Sic iterum reus non tenetur respondere judici, quando dubitat, an legitime interroget, quia est causa principalis sue responsionis: e contra tortor tenetur exequi sententiam dubiam, quia est instrumentum judicis.

Notant communiter Theologi, ipsos exactores exigentes tributa dubia non peccare: quia præsumere possunt superiores habere justam causam ipsis incognitam; quod discutere non ipsorum est, cum in hoc se habeant ut instrumentum Principis.

§. III. Utrum Clerici sint exempti a Tributis?

Dico: (Ibid. ad Rom.) Clerici sunt regulariter exempti a Tributis. Prob. 1. Ex Jure civili L. Sancimus 22. C. de sacrosanctis Ecclesiis l. 1. tit. 2. Ubi Justinianus Imperator Ecclesias, & omnia loca pia a prælatis maneribus immunitate decernit. Et Novella Item nullo C. de Episcopis & Clericis ibid. tit. 3. Fredericus Imperator sic statuit: Item nulla communitas, vel persona publica, vel privata collectas vel exactiones, angarias, vel perangarias Ecclesiis, vel aliis locis piis, aut Ecclesiasticis personis imponere præsumant. Item cap. In qualibet causa 23. q. 8. ex Constantio & Constante Imperatoribus. Prob. 2. ex Jure Canonico C. Quamquam, De censibus in 6. l. 3. tit. 20. ubi Bonifacius VIII. inter alia sic statuit: Cum igitur Ecclesia Ecclesiasticæ personæ, ac res ipsarum, non solum Jure humano, quinimo & divino, a secularium personarum exactio- nibus sint immunes, constitutionem felic. record. Alexandri Pape IV. Prædecessoris nostri (qua statuit, Ecclesias & personas Ecclesiasticas ad pedagia & guidagia penitus non teneri, nec ad exhibendum, vel solvendum talia pro rebus suis propriis, quas non causa negotiandi deserunt, vel deferri faciunt, seu transmittunt) volentes propter multorum insolentiam & abusum pene adminiculo adjuvare, adjicimus districtius inhibendo (contraria consuetudine quorundamque, que dicenda est corruptela verius, non obstante) ut nec Collegium, nec Universitas, nec aliqua etiam singularis persona, cuiuscumque sit dignitatis, conditionis, aut status, a præfatis Ecclesiis, aut personis, aut pro personis ipsis, aut rebus prædictis, talia exigat, vel extorqueat per se, vel per alium, suo nomine vel alieno, aut contra fecerint, si sit singularis persona, subicit excommunicationi; si sit communitas, interdicit. Et Can. Clericis tit. 23. de immuni. ibid. non solum laicos collectas, tallias; &c. ab Ecclesiasticis exigentes, sed etiam Ecclesiasticos illas solventes excommunicat, si sint singulares personæ; interdicit, si sit communitas; & harum censurarum absolutionem Apostolicæ Sedi reservat. Magnum Concilium Lateran. cui præter 400. & ultra Episcopos, 800. tam Abbates, quam Priores, ade- rant legati Imperatoris Constantinopol. Regis Romanorum, Gallorum, Anglorum, Hungarorum, Aragonum, & plurimum aliorum Principum sub Innocentio III. prohibet sub anathemate, ne seculares exigant ab Ecclesiasticis tributa, & addit: Verum, si quando foris Episcopos simul cum Clericis tantam necessitatem, vel utilitatem perspexerint, ut absque ulla coactione ad relevandas utilitates, vel necessitates communes, ubi Laicorum non suppetunt facultates, subsidia duxerint per Ecclesias conferenda, prædicti Laici humiliter & devotè recipient cum gratiarum actione: propter imprudenciam tamen quorundam Romanus Pontifex consulatur, cujus interest communi- bus

utilitatibus prædicere. Referuntur Can. Non minus & Can. Adversus Extrâ l. 3. tit. 49. Videat curiosus Lector. Concilium generale Viennense sub Clemente V. cui cum 300. Episcopis aderat Rex Gallie, jubet Ordinariis locorum, ut publicent Sententias excommunicationis & interdicti- latis contra eos, qui tributa exigunt a personis Ecclesiasticis pro earum rebus, quas non negotiandi causa defe- runt, aut deferri faciunt. In Bulla Cœne, excommunicantur omnes, qui absque speciali & expressa licentiâ summi Pontificis imponunt collectas, decimas, tallias, præ- tantias, aut alia onera personis Ecclesiasticis, aut earum bonis, sive Ecclesiarum, aut Monasteriorum ipsorum, aut im- posita exigunt, aut a sponte donantibus recipiunt, aut his actibus quovomodo cooperantur. Quod dicitur: a sponte donantibus, intelligitur, quando impositum est. Concilium Trident. sess. 25. Cap. 20. de Ref. postquam dixit: Ecclesia & Ecclesiasticarum personarum immunitatem Dei ordinatione & Canonice sanctionibus constitutam esse; de- cernit & præcipit, Sacros Canones & Concilia generalia omnia, necnon alias Apostolicas sanctiones in favorem Ec- clesiasticarum personarum, libertatis Ecclesiasticæ, & con- tra ejus violatores editas (que omnia etiam præsentis De- creto innovat) exactè ab omnibus observari debere.

Ex his inferes 1. hanc immunitatem non posse contra Clericos præscribi, sed omnem consuetudinem contrariam, quantumvis antiquam, esse corruptelam, nec ullo tempore convalescere, ut decernit Innoc. III. & Bonif. VIII. cit.

Inferes 2. Clericos huic immunitati non posse cedere, ut decernit idem Bonifacius Can. Clericis cit. quia non est ipsis concessa propter ipsos personalitèr, sed propter emi- nentiam status Clericalis: unde, sicut non possunt permit- tere, ut a Laico percussantur, ita nec solvere tributa im- posita a Laicis. Inferes 3. esse quosdam casus, in quibus licitum sit exigere tributa a Clericis; ob quam causam dixi in conclusione, regularitèr esse exemptos. Primus casus est, si negotiationem exercent, ut declarat idem Bonif. C. Quamquam cit. & hoc annuit Ecclesia in odium negotiationis in Clericis. Videtur tamèn ex Can. Ex li- teris Extrâ l. 3. tit. 1. Clericum negotiatorem non teneri solvere vectigal ante trinam monitionem. Cæterum adver- solvere vectigal ante trinam monitionem. Cæterum adver- te, non esse negotiationem, si Clericus fructus ex suo fundo, aut ex ruis pecoribus vendat, ideoque pro illis non subjacere vectigalibus.

Secundus casus est, quando facultates Laicorum non sufficient ad succurrendum necessitati publicæ; ut autem in hoc casu exigatur Tributum a Clericis, requiritur con- sensus Pape, ut patet ex cit. Cap. Adversus & ex Bul- la Cœne. Quod si res non ferat moram, videtur sufficere consensus Episcopi & Clerici pro Clericis secularibus & regularibus non exemptis: pro exemptis verò requiritur con- sensus suorum Prælatorum.

Sed si non consentiat Pontifex & contradicat Clerus; poterint licitè Princeps imponere tributa Clericis? Res- pondet affirmativè Daëlmán, si tributa sint necessaria; quia, inquit, habent Principes independentèr a Pontifice pote- tatem providendi bono communi suorum Statuum; te- nenturque Clerici, qui & favorem sentiunt, etiam in tali necessitate onera sustinere. Verùm hanc Responsionem non puto admittendam, nisi temperetur; vel ergo Papa agnoscat necessitatem, vel non. Si primum, videtur irra- tionabiliter invitus, sique admitti potest responsio. Si secundum, non videtur admittenda; quia illius est judi- care de necessitate, cujus est consensus dare in necessita- te; & aliquin Princeps constitueretur Index in propria causa, sique evanescerent Jura & Clericorum privilegia; nullus enim est Princeps, qui imponendo tributa non præ- tendat necessitatem.

Tertius casus est, secundùm Canonistas & Theologos, quando tributum est æquè primariò & æquè immediatè in utilitatem Clericorum & Laicorum, ut pro agere repa- rando, ne flumen inundet agros Clericorum & Laico- rum; pro expellendis prædonibus, qui vastant territo- rium, in quo Clerici habent multas possessiones: Id enim æquitati naturali videtur omninò consentaneum. Secus, si contributio spectet immediatè & primariò communita- tem, & secundariò tantùm ac per consequentiam Clericos, quatenus sunt membra communitatis: ut tributa, quæ spectant stipendia Principis, bellum gerendum, reparatio- nem arcium, aut mœniorum Civitatis, &c. Ità Sylvester v. Immunitas l. 1. n. 2. cum Panorm. & aliis, & post ipsum Less. l. 2. cap. 33. dub. 3.

Quidam tamen subjiciunt etiam Clericos, non secus ac Laicos, reparationi pontium & viarum publicarum ex L. Ad

Ad instructiones 7. C. de Sacrosanctis Ecclesiis l. 1. tit. 2. ubi Imperator Honorius dicit: Ad instructiones itinerum pontiumque, etiam divinas domos & venerabiles Eccle- sias tam laudabili titulo adscribimus. Verùm id negat Sylvester cum aliis cit. tùm quia hæc Honorii Constitutio videtur revocata per Imperatores subsequentes, Justinia- num & Fredericum, qui absque ulla exceptione Clericos a vectigalibus & tributis exemerunt, & per Concilia ge- neralia, quibus vel ipsi Principes vel eorum Legati ad- fuerunt, ut patet ex probat. conclusionis: tùm etiam quia, cum hæc Constitutio sit contra immunitatem Ecclesiasticam, non habet vim, nisi approbetur ab Ecclesia. Cæterum datò, quod hæc Constitutio admittatur, saltèm non est extenden- da ultra casus in ea contentos, scilicet reparationem iti- nerum & pontium, proit quidam liberis & absque fun- damento extendunt: quorum sententiam si sequi velis, vix ullum restabit Clericorum privilegium. Notat tamèn Syl- vester loco cit. n. 19. esse quadam onera, quæ ratione natu- rali incumbunt ipsis rebus, & ad quæ tenetur Ecclesia, ut reficere viam antè donum. Item de purgatione putei ne- cessari toti vicinia, in qua est Ecclesia. Item solvere ad por- tam, vel pontem pro plastro, ad ipsius portæ, vel pontis con- servationem, quia destruit viam. Vide laud. Sylvester.

Quartus casus est: si possessio aliqua habeat aliquod onus annexum perpetuum & invariable antequam veniret ad Ecclesiam, Ecclesia tenetur ad illud; quia res transit cum onere suo. C. Cum non sit 33. & C. Pastoralis 28. de decimis. Vide eundem Sylvestr. ibid. Non potest tamèn novis oneribus gravari. Neque refert, quod Princeps ha- beret jus imponendi tributum huic possessioni, sed propter veniret ad Ecclesiam, quo jure non videtur spolians eam eo, quod fiat Ecclesie: qui Princeps non habet jus im- ponendi tributum alicui prædio, nisi quandiu pertinet ad personam non immunenem; unde hoc ipso quo transit ad Ec- clesiam immunitate gaudentem, Princeps amittit hoc jus.

Petes 1. Utrum bona patrimonialia Clericorum sint etiam immunia? R. Probabilem esse quorundam Sententiam, esse immunia à novis tributis imponendis: 1. quia Bonifacius VIII. supra cit. declarat indistinctè, Personas Ecclesiasticas & res ipsarum esse exemptas. 2. Quia in Bulla Cœne excommu- nicantur, qui imponunt collectas, &c. personis Ecclesiasti- cis aut eorum bonis, sive Ecclesiarum, aut Monasteriorum: ubi distinguit eorum, hoc est, Clericorum bona a bonis Ec- clesiarum. Scio, id ab aliis negari, quibus forte favet usus.

Petes 2. Quo Jure Clerici sunt immunes? R. (Ib.) Esse immunes Jure civili & canonico, ut patet ex dictis: quod tamèn habet æquitatem naturalem. Quia, sicut Reges solli- citudinem habent de bono publico in temporalibus; ità Mi- nistri Dei in spiritualibus; per eos enim Reges & populi

sunt Christiani, accipiunt doctrinam salutis, panem celestem, remissionem peccatorum, & vitam æternam: horum precibus Regna permanent, calamitates revertuntur, tranquillitas ser- vatur aut restauratur: & sic recompensant Regi & populis, quod ille laborat, & isti ministrant pro eorum pace. Undè etiam apud Gentiles (Ib.) liberi erant attributis, qui vacabant rebus divinis, ut patet Genes. 47. & 1. Esdræ 7. Hincque gentium morem probavit Deus, dum in veteri Testamento Sacerdotes & Levitas à tributis fecit immunes. Quanto magis id congruit Ministris novi Testamenti, quorum priores erant tantum figura! Itaque Jus naturale & divinum suadent & approbant hanc immunitatem; & hoc sensu intelligenda sunt Jura laudata, dum dicunt eam esse Jure Divino & Dei ordinatione, id est, suadente & probante: at non sic absolu- tè præcipiunt, quasi Principes peccent contra Justitiam, si, secluso quovis alio Jure, tributa Clericis imponant: id enim neque ex sacris Literis, neque ex traditione; neque ratione probari potest: imò contrarium evincitur ex S. Ambrosio C. Si tributum Caus. 11. q. 1. Si tributum petit Imperator, non ei negamus; agri Ecclesie solvant tributum. Et ex Urbano Papa C. Tributum Caus. 23. q. 8. De exterioribus Ecclesie, quod constitutum antiquitus est pro pace & quiete, qua nos defendere debent, Imperatoribus persolvendum est. Ratio etiam suadet: Clerici enim, atten- ta natura rei, & secluso omni privilegio, sunt subditi Principum in temporalibus non secus ac Laici, & sic erant de facto tempore, quo regnabant Imperatores Ethnicis Hanc ergo immunitatem, equidem Juri naturali & divino omni- no consentaneam, completè constituerunt concessionibus Prin- cipum & sanctionibus Ecclesiæ.

Petes 3. Qui Clerici gaudeant hac immunitate? R. 1. Ea gaudent omnes Clerici majorem Ordinum, omnes Be- neficiarii, omnes Religiosi & Religiosæ. Est communis. 2. Clerici minorum Ordinum, & primæ Tonsuræ, non con- jugati, quamvis neque sint Beneficiarii, neque alicui Eccle- siæ deserviant, attento Jure ea gaudent; at contraria con- suetudine, consentiente S. Pont. hoc privilegium amiserunt. Et hoc rationabiliter ob nimiam multitudinem talium Cle- ricorum, quorum plerique fiebant Clerici precissè, ut a Tributis essent liberi, absque ullo animo Ecclesie inserviendi. Excipiendi tamèn videntur, qui in studiis versantur quasi in via ad majores Ordines. 3. Clerici conjugati, qualescum- que sint, hac immunitate non gaudent: quia duo tantùm privilegia illis a Jure conceduntur, nempe Fori & Canonis. Si quis suadente cap. unico de Clericis conjugatis in 6. id- que sub tribus conditionibus: 1. Ut non duxerint nisi virgi- nem & unicam. 2. Ut deferant Tonsuram & vestes cleri- cales. 3. Jure novo Tridentini, ut ab Episcopo alicujus Ec- clesie ministerio sint deputati.

DISSERTATIO X.

DE VITIIS OPPOSITIS JUSTITIAE COMMUTATIVÆ, ET PRIMO.

De Homicidio, Mutilatione, & Restitutione inde debita.

Div. Thom. QQ. 64. & 65.

EXPEDITIS iis, (Q. 64. in Proem.) quæ spectant ac- ceptionem personarum, quæ est vitium oppositum jus- titiæ distributiæ, restat agendum de vitiis oppositis Jus- titiæ commutativæ, per quæ infertur nocuumentum proximo: quod fit dupliciter facto & verbo. Facto, lædendo ipsum in propria persona per homicidium & mutilationem; vel in re- bus exterioribus pro furto & rapinam: Verbo, tùm in ju- dicio per injustitiam Judicis, Accussatoris, Advocati, Testis, & Rei; tùm extrâ Judicium, per contumeliam, detractio- nem, insurrectionem, & maledictionem. De quibus omnibus suo ordine agemus, necnon de obligatione restituendi ex illis contracta. De damno animæ, nec non de injuria illata per stuprum & adulterium, dicam in appendicibus ad hanc Dis- sertationem.

ARTICULUS I.

Utrum sit licitum occidere Malefactores?

Delictum fuit Manichæorum, non esse licitum occi- dere bruta animalia; neque destruere herbas, quod eorum animas a bono principio, & quasdam divinitatis

particulas esse dicerent: unde eorum occisionem præcep- to, Non occides, esse prohibitam volebant contra expres- sa Scripturæ testimonia: nam Genes. 1. dixit Deus Adæ: Ecce dedi vobis omnem herbam & universa ligna, ut sint vobis in escam & cunctis animalibus terra. Et Gen. 9. dicit Noè, & filiis ejus: Omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia. (Ibid. art. 1. o.) Insupèr in veteri Testamento occidebantur quotidie animalia ad Sacrificia. In novo autem Christus ip- se manducavit pisces & agnum Paschalem, qui debuerunt prius occidi.

Id etiam probat ratio. (Ibid. & 1. p. q. 96. a. 1. o.) Si- cut enim in generatione rerum intelligitur quidam ordo, quo proceditur de imperfecto ad perfectum: nam mate- ria est propter formam, & forma imperfectior propter per- fectiorem; ità etiam est in usu rerum naturalium; plan- tæ enim utuntur terra ad sui nutrimentum, animalia ve- rò plantis: & homines plantis & animalibus; unde na- turalitèr homo dominatur animalibus. Et propter hoc Phi- los. 3. Polit. dicit, quod venatio sylvestrum animalium est justa & naturalis, quia per eam homo vindicat sibi, quod